

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decem in Jho. Arrianos.

Programma. Jho. Neubisium.

~~de~~ ~~de~~ ~~de~~

Apologia Jho. Bugserum.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

SACROSANCTA
DOMINI COENA.

QUAM

IEHOVA FAVENTE

SUB PRAESIDIO

Reverendi & Clarissimi Viri,

DN. GEORGII CALIXTI,
S.S. Theologiae Doctoris & Professoris
publici in illustri academia Iulia.

Publicè defendet

M. IODOCVS HILDEBRANT
Hildesienfis.

Pridie Kalenda: Octob:



HELMMAESTADI,

Typis heredum IACOBI LUCI,

ANNO M. D C XX.



*Amplissimis, Consultissimis, ac Prudentissi-
mis Viris,*

**DN. CONSULIBVS
COETERISQVE SENA-
TORIBVS OMNIBVS ET
singulis Reipublicæ Neo-
hildesianæ.**

*Mecenantibus, & patronis suis
aeternum colendis*

**Exercitium hoc Theologicum
ceu signum gratitudinis & obseruantia
debitæ inscribit & offert.**

*M. Iodocus Hildebrant
A. & R.*



Typis herodum Jacobi

Anno M. D. C. XX.



DE SACRAMENTO.

THESIS I.



Era in Deum fide nihil vel pretiosus nominari, vel utilius inveniri quit in homine. Si enim originem spectes, coelitus immittitur; si media offerentia ipsius Dei vox eam gignit, sacramenta obsignant; si effectum, remissio peccatorum ipsam certò insequitur; si consequens per charitatis opera ostenditur; si præmium æterna salute donatur; si deniq; ordinem, causa radix ac fundamentum est reliquarum virtutum omnium. Imo nulla virtus in se præstantior, Deo gratior, nobis utilior.

II. Deus enim Optimus Max. vt omniscius Dominus Adami lapsum, æternumq; exitium, in quod homines præcipites erant ituri, prævidens, hanc tanti fecit, vt per ipsam & proptet meritum Christi æternum homines saluare decreuerit, *Eph. 1. v. 9. & 11. 2. Tim. 1. v. 9. 2. Thes. 2. v. 13.*

III. Vt autem humano generi in consequenda fide nihil deesset, insignia statim illi concessit media, per quæ fidei saluificæ particeps redderetur, æternamque salutem consequeretur *Verbum* nimirum & *Sacramenta*. Hæc enim sunt quasi officina Spiritus sancti, in qua beneficia Christi recondita asseruantur, sine pretio diuenduntur, ac hominibus distribuuntur.

IV. Verbum quidem fidem excitat, Sacramenta vero eandem cum conferunt, tum obsignant. Illius tractationem suo loco relinquimus; hæc vero cum duplicia sint Veteris & Noui Testamenti, nos alterum Noui, fœderis

Sacramentum Coenæ videlicet Dominicæ aliquot positionibus in præsentia pertractabimus.

V. Quod ut sine vltioribus verborum ambagibus fiat, eiusmodi damus illius definitionem: *Cœna Dominica est actio à Christo diuinitus instituta, in qua una cum pane & vino benedictis modo planè hyperphysico accipimus, edimus & bibimus verum & substantiale corpus & sanguinem Christi, in commemorationem mortis eius, quam amplexa fides ita confirmatur & ob-signatur.*

VI. Definitum est Cœna Dominica. Cœna quidem quia vespertino tempore post cœnam agni paschalis fuit peracta *Matth. 26. v. 20. & seq.* Dominica autem ab institutore & autore Christo Iesu. Is enim ut Noui Test. sponsor, & summus sacerdos, quem voce cœlitus delata audientium cœlestis pater nobis commendauit *Matth. 17. vers. 5.* eaque nocte qua tradebatur, illum ordinauit, atq; hoc modo finem imposuit Veteri, & instituit Nouum Testamentum in suo sanguine, vti præter *Matth. 26. v. 26, 27, 28: Marc: 14. v. 22, 23, 24. Luc. 22. v. 19, 20, & Paulus 1. Cor. 11. v. 23, 24, 25. testatur.*

VII. Alias dicitur etiam Eucharistia à fine; Synaxis quia à tota Ecclesia celebratur; Cœnatio ab effectu, quia hoc sacramento vtentes participes fiunt corporis & sanguinis Christi; Sacramentum altaris à mensa, in qua ponebantur munera Christianorum, quæ partim in vsum huius mysterij, partim in sustentationem ministrorum, & refectioem pauperum cedebant.

VIII Genus huius Sacramenti constituimus, actionē quia i. verbis actionem denotantibus describitur, Christus inquit: *λάβετε, φάγετε, πίετε, ποιείτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.* 2. inductio & institutio Sacramentoium tam Veteris quam Noui Test. illud demonstrat. De Circumcisione dicitur, *Gen. 1. v. 11. circumcidetis carnem præputij vestri;* de Esu agni paschalis

lis

lis, tollat unusquisq; agnum & immolet, & edat carnes agni assas
igni Ex. 17. v. 3. seq; de Baptismo: Baptizate Matth. 28. v. 19. Act.
2. v. 28. Gal. 3. v. 27. de Cœna Accipite, comedite, bibite, Matth.
26. v. 26. & 27. 3. quia sublata actione Sacramentali tollitur
Sacramentum ipsum; quare si tollis præputij amputatio-
nem, agni manducationem, hominis aspersionem, mandu-
cationem panis & bibitionem vini, tollis pascha, circum-
cisionem, baptismum, & cœnam. Quo facit maxima ista:
*Sacramentum extra usum & actionem diuinitus institutam non
est Sacramentum.*

IX. Et licet quidam ex Caluinianis veritatis euidencia
conuicti hoc nobiscum fateantur, vt Beza volum. 3. Theol. p.
332. & seq. Trelcat. instit. theol. l. 2. p. 97. Zepperus de Sacr. c. 3. Pi-
scator volum. 1. disp. theol. disp. 25. Bucanus in instit. loc. 46. p. 547.
tamen sunt qui hoc negant, & vti sacramenta reliqua, sic &
hoc Relationis prædicamentum incolere dicunt, genus e-
ius facientes symbolum, qua de re vide Kech. in syst. theol. c.
8. Polanum in partit. Theol. & alios, in primis Iohannem
Caluinum qui lib. 4. insti. c. 14. eiusmodi sacramenti ponit
definitionem: *Sacramentum est externum symbolum quo bene-
volentia erga nos sua promissiones conscientis nostris Dominus
obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicif-
sim pietatem erga eum nostram tam coram eo & angelis quam apud
homines testamur.*

X. Et hoc suum genus vult stabilire illis B. Augustini
verbis: *Sacramentum est rei sacræ visibile signum, siue inuisibilis
gratiæ visibilis forma.*

XI. Verum quis non videt hæc verba non exactam in
se continere definitionem, sed tantum esse descriptionem
à fine & usu sacramentorum sumptam. Finis non ingre-
ditur rei essentiam, sed hæc illo sublato manere potest.

XII. Dicimus autem in hoc Sacramento non tantum

hog

A 3

panem

panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi verè adesse & à communicantibus percipi contra illos qui præsentiam illius hoc in loco negant.

XII. Et hoc vt statuamus & firmiter credamus adducunt nos solidissima, immota, & extra omne dubium posita institutionis cœnæ verba: accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur; bibite ex hoc omnes, hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine.

XIV. Ex quibus hoc inuictum exstruitur argumentum: *Quodcumq; in Sacrosancta cœna ore accipimus, comedimus, bibimus, id etiam reuera & re ipsa in hisce terris adest, & id participamus. Sed ipsum verum & substantiole corpus Christi, & sanguinem in sacra cœna ore accipimus, comedimus, bibimus. Ergo illud etiam reuera in hisce terris adest, & id participamus.*

XV. Maior manifesta. Minorem probant verba institutionis, in quibus Christus accipere, manducare suum corpus, & bibere suum sanguinem iubet, quæ verba *κατὰ τὸ πρῶτον* intelligenda sunt, & talem sensum præ se ferunt, quem propria vi & modo significandi in cuiusuis intellectu efficiunt.

XVI. Ita namq; loqui conueniebat. Christus enim vt amicus & doctor, amicis & discipulis iam iam morti vicinissimus testamentum, idq; non iuxta morem veteris Instrumenti, quod erat typicum atq; figuratum, sed Novum hoc est complementi & antitypi proprium condebat. Scimus autem & notum est ex iure testamentorum publico & solenni, illa testamenta, quæ de bonis & facultatibus distribuendis agunt, verbis maximè propriis & perspicuis constare, neq; ab eorum literalis sensu recedendum, nisi gravissimæ & planissimæ subsint causæ, nimirum si de mente testatoris alibi aliquid plani sit dispositum, eumq; aliter post

panem

et

post

post testationem sensisse constat, iuxta sequentes Iuris-
consultorum canones: *Non recedendum à verbis testato-
ris, quia talis praesumitur fuisse intentio, qualem verborum pro-
prietates importat: neque credendum est testatorem id voluisse, quod
non dixit. Non praesumitur testatorem voluisse aliud, quam quod
verbis expressit, nam si contrarium voluisset, nulla certe erat dif-
ficultas scribere. Nisi de contraria lege mentis evidenter constet,
à propria verborum significatione non receditur.* Quia igitur

& hic testamentum est non nudi hominis, sed ipsius coele-
stis ac diuinæ sapientiæ filii Dei (qui non coactè aliquid a-
git, quemque facti non poenitet) in quo humano generi vlti-
mam declaravit voluntatem, præclaraque confert bona, du-
bium nullum est, quin propria verborum vis sit retinenda.

XVI. Idem euincit omnium trium Euangelistarum v-
nanimis consensus, Christi verba, *hoc est corpus meum, hic
est sanguis meus* de benedicto & distributo pane & vino ali-
quoties enunciatis.

XVII. Quibus accedit Paulus *1. Cor. 11. v. 16.* panem &
vinum expresse *νομαζον* corporis & sanguinis Christi ap-
pellitans. Hæc enim duo elementa sunt *ὄχνημα* per quod
nobis corpus Christi, non quo ad virtutem duntaxat, sed
etiam quo ad substantiam communicatur. De tali enim
communicatione loquitur, quæ ad substantiam Sacra-
menti pertinet, & quæ dignè manducantibus cedit ad salu-
tem, indignis vero ad iudicium.

XIIX. Verum ut clara hæc sint; attamen gens sacra-
mentaria tota schuic opponit, fingendo in illis verbis, hoc
est corpus meum, varias explicationes. Andreas Carolo-
stadius ita resoluit, *hic sedet corpus meum*; Zvvinglius *hoc si-
gnificat corpus meum*; Oecolampadius cum Caluino *l. 4. In-
stit. c. 17. s. 21. est signum siue figura corporis*; Aretius vocat cor-
pus *symbolicum s. s. de cæn. p. 65.* Zanchius *c. 4. de cæua, Keck. l.*
3. syst.

3. syst. theol. c. 8. Crellius in log. l. 2. c. 3. p. 194. Bucan. loc. 48. p. 693. largiuntur verba propriè accipienda esse, sed in attributione figuratum delitescere sermonem.

XIX. Sed quid iuuat prolixè illorum explicationes cumulare? patescit hinc inconstantia, temeritas & discordia principum huius hæresis. Nos pro propria locutione pugnamus sequenti syllogismo.

XX. Si in hisce propositionibus hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus latitat tropus; ille inerit vel subiecto, vel predicato, vel copula, vel toti propositioni. Sed in nullo horum deprehenditur. E. his verbis nullus tropus inest.

XXI. Propositio maior constat ex totius & partium omnium enumeratione. Minorem ordine probo. Subiectum est hoc, quod uillum sustinere tropum iam dudum falsus est Beza hom. 2. de cæna: Confiteor, inquit, hic nullum tropum esse, quia signum propriè exponi necesse fuit, ne falleremus. Et licet per pronomen δευτικόν totum συμπιπλεγμένον ut constructio & rei euidencia requirit, intelligas, siue de solo pane & vino, ut volunt Calviniani, dum eiusmodi propositionem ἀξεδέον substituant: panis est corpus, vinum est sanguis, accipias, ab omni tamen tropo manet immune, imo dubium nullum est, quin Christus verum & naturalem panem & verum ac naturale virum sumserit, illudq; Apostolis edendum & bibendum porrexerit, ut ita certa essent symbola sacramentalia.

XXII. Lutherus quidem hic Synechdochen esse statuit, verum ut ipse se explicat Grammaticam, non Rhetoricam. Vide ipsum in confessione maiore.

XXIII. Est autem Grammatica Synechdoche comprehensio, quæ sub uno vocabulo eiusq; complexu duo distincta comprehendit, proprio ac nativo verborum sensu planè relicto, integra & inuiolato.

XXIV. Qui modus loquendi adeo invaluit, ut nobis etiam de figurato sermone non cogitantibus sapissimè in familiari colloquio excidat. Sic porrigendo alicui marsupium dicimus, hoc est aurum vel argentum; vel tangendo vitrum siue poculum hoc est aqua, vinum, cerevisia; sic etiam Christus porrecto pane & vino dicit: edite, hoc est corpus meum, bibite hoc est sanguis meus.

XXV. Innuit proinde hæc Synechdoche, duas res disparatas panem nimirum & corpus, vinum & sanguinem simul adesse & exhiberi.

XXVI. Nec prædicata tropum admittunt, hæc enim ita ἐξήγηται Servator explicat, ut qui in his tropum quærat, mendacij Christum arguat. Verba Salvatoris ita habent: *accipite, edite, bibite illud corpus, quod pro vobis traditur; illum sanguinem qui pro vobis effunditur.* Unde sic colligo: *si non signum, non symbolum corporis aut sanguinis Christi, sed ipsum verum ac naturale corpus pro nobis est datum & verus ac naturalis sanguis effusus, sequitur utiq; non tropicè sed propriè illa verba esse intelligenda. Sed verum prius. E. & posterius.*

XXVII. Maior suam habet evidentiam. Minorem probant institutionis verba, quæ norma & regula Ecclesiæ in *ὁμολογία* huius coenæ mysticæ, quæq; fallere nequeunt, quippe ab illo profecta, qui mentiri nescit, sed ipsa veritas est.

XXVIII. Adde quod corpus Christi in scripturis semper pro vero ac naturali corpore sine addita explicatione, qualis habetur *1. Cor. 12. v. 27. Eph. 1. v. 23, 5. v. 32. Col. 1. v. 24.* nunquam verò pro signo aut figura corporis, uti vult Calvinus, accipiatur.

XXIX. Hanc verborum vim & evidentiam videns Theodorus Beza epistola 5. ad Alemannum Lugdunensis Ecclesiæ magistrum in hæc prorupit verba: *Nimis absurdum foret*

B

foret corporis & sanguinis nomina de fructu & efficacia mortis Domini interpretari, vel ad solum ipsius spiritum restringere. Quod, ut planissimè intelligas, age pro his vocibus (corpus & sanguis) substituamus illam interpretationem & dicamus, hoc est efficacia mortis meae, qua pro vobis traditur, & hic est spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid ineptius est hac oratione? Nam certè verba illa (quod pro vobis traditur, & qui pro vobis effunditur) necessariò huc te adigunt, ut de ipsamet corporis & sanguinis substantia Christi intelligere hoc cogaris.

XXX. Consentiant cum hisce Patres, Augustin. in serm. ad Neophytos: Hoc accipitur in pane, quod pependit de cruce, hoc accipitur in calice, quod effluxit de latere. Cyrillus in epist. ad Cœlosyr. Sacram eius, inquit, carnem & pretiosum sanguinem benedictione vivifica accipimus in pane & vino. Chrysoft. hom. 24. sup. i. Cor. 10. Hoc quod in poculo existit, illud est, quod è latere Christi effluxit & illius sumus participes.

XXXI. Copulam in se continere tropum Rhetores nesciunt, utpote quæ simplicissimæ sit significationis, in omni enunciatione ad combinationem extremorum necessaria.

XXXII. Et quamvis quidam ex Calvinianis illam *σημαντικὴ* accipiendam esse contendant, tamen sibi ipsis hinc non constant. Confer Crellium. l. 2. Log. c. 3. p. 195. & 196. & Calvinum l. 4. inst. c. 17. f. 22, quorum ille hoc modò ait modò negat, hic plane negat.

XXXIII. Quartum minoris membrum, quod probandum restat, sponte sua concidit, quia enim tropus absq; significationis mutatione (*requirente id eius natura & definitione*) non sit, quomodo tropica erit propositio, hoc est corpus meum, in quo nullius vocis vis per tropum invertitur.

XXXIV. Conclusum itaq; esto hasce propositiones:
hoc

hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus iuxta proprium conceptum intelligendas esse.

XXXV. Argumenta quæ pro symbolico corpore, & veri ac naturalis corporis Christi absentia Calviniani afferunt, utpote impossibile esse ut verum & naturale corpus, quale habet Christus, simul & semel possit esse in duobus locis ad dextram nimirum Dei & in terra. Item: si corpus in pane & sanguis in calice exhibeatur, sequi necessario, corpus Christi diuulsum (*panis enim & calix locorum spatij & à se inuicem sunt seiuncta*) & quæ sunt huius generis similia, pronunciata sunt physica, valent ergò & procedunt in physicâ. Illa autem agit de cursu naturæ ordinario, siue potentia Dei ordinaria, sicut autem absurdum est, dicere Deum non posse aliquid agere supra naturam, sic etiam absurdum est, effato hoc physico præsentiam corporis Christi ex cœna hac sacra remove. Apud Deum enim omnia sunt possibilis. *Matt. 19. v. 26. Luc. 1. v. 37.* & plus potest quam nos intelligimus. *Eph. 3. v. 20.*

XXXVI. Et licet hic adversarij id ipsum negent, tamen alijs in locis mecum ingenuè fatentur. *Calu. l. 3. instit. c. 23. s. 4.* inquit: *indignum est ad eam legem Dei operare redigere, ut simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.* *Aret. p. 1. probl. 2. quæ est ista petulantia, diuina mysteria communibus natura legibus obnoxia facere, quæ cum omni rationi humane inexplicabilia, adoranda potius quam ventilanda.* *Mornæus. præf. l. de verit. relig. tantum abest, ait, ut humana ratio fidei sit mensura, ut ne natura quidem propter ignorantiam & prauitatem esse possit.* Similem locum vide apud *Sadaelem in præf. oper. theol. de meth. disp. in theol.*

XXXVII. Diuina autem virtute fieri posse, ut corpus Christi simul sit in cœlis & in terris testatur exemplum eius *Act. 3.* vbi dicitur: *Christus ascendit cœlos, nihilominus Act. 9.*

v. 3. apparuit Paulo, ut ipse ait *Act. 22. v. 6.* Fuit igitur tum
temporis & in caelis & in terris. Commensurari enim
loco non est corporiue naturæ internum, nec definitio-
nem eius ingreditur, & propterea omnipotentia diuina à
corpore salua illius essentia separari potest. Unde Hugo
Victorinus l. 2. de sacra: *Hic est, ibi est, & totum vtrobiq; est, &
in multis locis similiter. Noli mirari, qui locum fecit, corpus fecit,
& locum corpori, & corpus in loco, & qui fecit, ut corpus vnum in
vno loco esset, fecit sicut voluit, & si voluisset, aliter facere poru-
isset.*

XXXIIX. Obiter hic nota sicut nihil refert, an vinum
album vel rubrum adhibeatur pro more cuiuslibet Eccle-
siæ, ita nihil interest, siue panis sit fermentatus siue azymus
siue rotundus siue oblongus, sufficit si ex aqua & farina sit
coctus, quod cum & in nostris hostiis siue oblatis sit, fru-
stra Calviniani contendunt, eorum vsum esse abrogandū.

XXXIX. Ex hac quæstione fluit alia an nimirum vinum
aqua diluendum & miscendum sit, uti vult perperam Bel-
larminus. l. 4. de Euch. c. 10. Sic habent ipsius verba: *porro
Ecclesia catholica semper credidit ita necessarium esse aqua vinum
misceri in calice, ut non possit id sine graui peccato omitti.*

XL. Sed respondemus illam mixtionem scripturam
nescire, nec vllam eius institutionis verba mentionem fa-
cere, quod dubio sine factum esset, si hoc adeo necessari-
um, ut vult Iesuita.

XLI. Porro in hoc mysterio panis & vinum, vel cor-
pus & sanguis non seorsim, sed vtrumq; simul vna mandu-
catione & bibitione, ut vnum sacramentale sumitur. Quæ
vnio sacramentalis consistit in *duarum diuersissimarum rerū
coniunctione, qua ex ordinatione & voluntate instituentis, in vso
& sumptione cœna externa elementa panis & vinum cum re cœle-
sti, verbo institutionis expressa, corpore videlicet & sanguine
Chri-*

Christi ad unum sacramentum uniuntur, ut propter hanc unio-
nem corpus, & sanguis Christi In Cum vel Sub pane & vino orali-
liter manducanda & bibenda exhibeantur in commemorationem
mortis eius.

XLII. Ut autem unio panis & vini cum corpore & fan-
guine Christi est Sacramentalis, sic etiam manducatio &
bibitio est Sacramentalis, id est eiusmodi, qua in sacramento
peragitur, ore quidem ut instrumento, sed sine sensu & actionibus
consequentibus physicis; & est tam piis quam impijs communis.

XLIII. Præter hanc dantur adhuc duæ manducationis
species. 1. Est physica, qua cibus ore corporeo acceptus dentibus
comminuitur, in ventrem deijcitur ac in chylum convertitur, de-
inde pars eius in nutrimentum corporis abit, pars per aluum excer-
nitur. Verum ita corpus Christi non sumi quis non
intelligit, propterea etiam hunc modum ab actu cœnæ ex-
cludimus.

XLIV. 2. Spiritualis, qua fit tantum per fidem, & est nihil
aliud quam participatio meriti Christi cæterorumq; bonorum spi-
ritualium. Hanc vero metaphoricè tantum ita dici, & ex-
tra sacramentum quouis tempore peragi posse quilibet a-
nimaduertit, imo in fidelibus & dignis semper vna cum sa-
cramentali coniungitur.

XLV. Qua distinctione obseruata multis occurrere
possumus antagonistarum calumniis & nugis, qui hac post-
habita, sine discrimine idem de utroq; concludunt, vnde
quatuor in ipsorum syllogismis fiunt termini, quod so-
phistarum est.

XLVI. Keckermannus & alij sunt in ea opinione,
quando nos statuimus In, Cum, & Sub pane corpus Chri-
sti sumi, tunc nos ita illud intelligere, quasi panis intus sit
excavatus, aut alio quouis modo mirificè dispositus in se
occultet receptum corpus Christi, l. 1. syst. log. c. 12. p. 114. ed. 2.
Sed

Sed tantum abest vt, ponendo hasce particulas, localem inclusionem corporis Christi in pane statuamus, vt expresse doceamus, panem & sanguinem media esse cum & sub quibus corporis & sanguinis participes reddamur.

XLVII. Et sic etiam locuti sunt sancti Patres. August. *in sent. Prosp. Sanguinem Christi SVB vini specie & sapore potamus.* Chrysost. *l. 3. de Sacerdotio; CVM illis rebus que videntur, simul adesse creditur corpus & sanguis Christi.* Gregor. Nyfscenus: *Hic est sanguis meus qui effunditur: non est alius iste sanguis & alius ille, sed vnus idemq; est iste & ille, cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modo bibitis IN calice.*

XLIIII. Multo minus panis & vinum in essentiam & substantiam corporis & sanguinis Christi conuertitur, vt volunt Pontificij, qui Transubstantiationem quandam hic fingunt, statuentes *substantiam panis & vini Eucharistie consecratione Sacerdotis mutari in substantiam corporis & sanguinis Christi, ita tamen, vt forma externa panis & vini sine subiecto cum accidentibus colore, quantitate, rotunditate & sapore maneat, hocq; esse verum sacramentum & durare, quamdiu externa ista species panis & vini remaneant, siue vsurpetur, siue conseruetur in cistula, vel in processionibus circumportetur.*

XLIX. Confirmatus primum fuit hic error in concilio Constantiensi, quod Anno Christi 1215. sub Innocentio III. celebratum fuit, vbi inter alia sic legitur: *Firmiter sic credimus corpus & sanguinem Christi in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem Christi potestate diuinâ, postmodum approbatus fuit in Constantiensi Anno Christi 1414. inter articulos verò fidei receptus à Tridentino A. D. 1551.*

L. Verum quis vnquam audiuit duo Entia positiva ita inter se inuicem transmutarier, vt vnus essentia in alterius essentiam iam dum existentis conuertatur, ac quod antea
fuit

fuit esse desinat, cuius sane rei exemplum nec philosophia
nec scriptura nobis suppeditat.

LI. Vnde dogma hoc crassissimum esse errorem ratio-
nibus tam ex Theologia quã philosophia desumptis patet.

LII. 1. Dogma de Sacra cœna, quod neq; in ipsa institutione
neq; in tota scriptura fundatur non est catholicum & Christianum
Sed eiusmodi est dogma Transubstantiationis. E.

LIII. Maior patet: omnia enim dogmata fidei in pro-
pria sede vbi de illis ex professo agitur, fundamentum suũ
obtinere debent. Minoris contrarium nondum nobis
pontificij demonstrarunt. E. conclusioni sua stat veritas.

LIV. 2. Christus non dicit hoc erit vel hoc fiat corpus
meum, sed hoc est corpus meum, vt innuat mysterium v-
nionis & transmutationem destruat. Taceo quod non ma-
gis ex istis verbis quando Christus dicit: *Accipite, edite, hoc
est corpus meum.* transubstantiatio evinci potest, quam si e-
go alicui ostenso marsupio dicam: En cape hoc sunt cen-
tum aurei, ille vero concludat marsupii conuersionem in
aureos. ἀτόπων.

LV. 3. Ipse Paulus post consecrationem aliquoties e-
lementa panis & vini panem & vinum nominat, *1. Cor. 11. v.
26, 27, 28,* & communionem corporis & sanguinis Christi,
1. Cor. 10. v. 16. Iam quæ simpliciter vnum sunt, inter ea non
est communicatio. Hæc enim ad minimum conceditur in-
ter duo.

LVI. 4. Nullum potest dari exemplum, in quo res sub-
stantiali conuersione immutatã pristinum nomen simpli-
citer retineat. Quamprimum enim aqua fit aer, non am-
plius aquæ sed aeris nomine insignitur, & contra.

LVII. Nec iuuat Iesuitas, quod Exod. 7. dicitur de Vir-
ga Aaronis, quæ etiam post conuersionem Virga nomi-
natur. v. 12; & de vino ex aqua facto, vbi simile contingit
Ioh.

Ioh. 2. illis enim in locis expressè dicitur virgam Aaronis in colubrum esse versam v. 10. & aquam vinum esse factã v. 9. vt indicetur quid ante mutationem fuerint, non quid post illam sint, quod de pane Eucharistiæ nullibi scriptura affirmat.

LII. Et quid multis? Ipse Gelasius, qui vixit circa annum 490. & fuit Pontifex Romanus in lib. de duabus naturis contra Eutych. sic inquit: *Esse non desinit substantia panis & vini.* Et postea: *permanent in natura sua proprietate.* Hunc igitur vt pontificem pontificijs opponimus.

LIX. Præterea absurdū est, & contra omnem sanæ philosophiæ rationē accidentia sola sine subiecto remanere. Implicat enim contradictionē, accidens esse & non inesse.

LX. Et sic panem & vinum à crasso & absurdo transubstantiationis errore vindicauimus, verum non minus absurdi sunt papicolæ, quando docent hoc sacramentum durare quam diu externa ista accidentia esse suum obtineant, siue hostiæ pixidi inclusæ asseruentur, siue in processionibus circumgestentur & adorentur.

LXI. Hæc enim multas inutiles & ridiculas sacrificulis extorserunt quæstiones, nimirum quid mures comedant cum consecratam hostiam edunt, an corpus Christi an substantiam panis, an nouam materiam in hunc vsu à Deo creatam, vt ibidem supposita à muribus deuoretur.

LXII. Nos dicimus & supra etiam demonstravimus, vñionem istam sacramentalem inter panem & corpus, vinū & sanguinem Christi non prius fieri, quam accedat externus vsus in manducando & bibendo consistens.

LXIII. Cui sententiæ subscribit Paulus 1. Cor. 10. de vsu & actione cœnæ inquit: *Panis quem frangimus nonne est communicatio corporis Christi.* Et Seruator porrecto pane dicit: *accipite comedite hoc est corpus meum.* Cum igitur in pixide

de re-

de reponitur & in processionibus circumportatur, non accipitur, non editur; tunc non est corpus Christi, sed nudum elementum non differens à communi alio pane vel hostijs, quam quod sacer olim fuerit.

LXIV. Idem statuendum de vino, si forte guttulæ quædam in terram decidant. Quamuis enim opus Domini reuerenter haberi debeat, tamen si vel casu in terram quid effundatur, non dicendum illud fuisse sanguinem domini, nondum enim bibitionis actus adest; & per consequens nondum sacramenti nomine venit.

LXV. Præterea historiæ, imò Pontificii ipsi non diffidentur, panem & vinum post consecrationem non sua duntaxat externa accidentia, vt colorem, saporem rotunditatem, ~~saporem~~ & c. retinuisse, verum etiam varias aliquando qualitates suscepisse, vt acorem, rubiginem, mucorem, vermiculationem, arrosionem à muribus, putrefactionem, combustionem, quin & venenosas qualitates. Per eiusmodi enim hostias Henricum VII. Imperat: & Victor. III. Papam interiisse, historiographi referunt.

LXVI. Eiusmodi vero qualitates Christine corpus pro subiecto habuisse dicamus? næ impium & blasphemum in sanctissimum illud corpus esset, quod, ipsis fatentibus pontificijs, eiusmodi mutationibus non subest. Manet igitur, nudum fuisse panem.

LXVII. Adorationis cultum quem coram sacrario & in processionibus pani huic transsubstantiato exhibent, *ἀετολατρείαν* non *χειρολατρείαν* appellandam esse dicimus. Panis enim, vt demonstratum, post consecrationem est & manet panis, quem dum pontificij adorant, seipso faciunt idololatrias.

LXVIII. Altergentis pontificiæ circa hoc fundamentum error est *mutilatio sacramenti*, alias *communio sub vna specie*.

C

cie.

cie. Hic non minus in ipsam Sacramenti substantiam, quā prior ille de Transsubst. impingit, quippe Laicos (per quos omnes, qui non sunt sacrificuli, intelligunt) altera coenae parte calice nimirum defraudat.

LXIX. Introduxerunt hoc dogma Pontificij A. D. 1415. in concilio Constantiensi s. 3. sub excommunicationis fulminis hęc verbis: *Licet Christus post coenam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile sacramentum; & licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraq;, & à Laicis sub specie panis tantummodo suscipiatur:* tamen hoc non obstante, *sacrorum canonum autoritas & approbata consuetudo Ecclesie servavit & servat; quod huiusmodi sacramentum sub una tantum specie dispensatur.* Quibus subscribit Concil. Trident. s. 21. c. 1, 2, 3.

LXX. Ingenuè hic autores decreti fatentur, mutilationem & sacri legum contra expressam Christi institutionem, Apostoli Pauli repetitionem, primitivæ Ecclesie & tot seculorum consuetudinem & vsum, consensum sacre scripturæ, fideiq; analogiam esse; tamen nescio qua impudentia & licentia adducti quorundam canonum autoritatem & temporis consuetudinem allegant, & illam Christo ac ipsius institutioni præferunt.

LXXI. Paulus dicit Gal. 3. v. 15. *Hominiis testamentum iam confirmatum nemo spernit aut superordinat:* sed hic non nudi hominis, sed Dei & hominis testamentum est, & tamen pleno quodam impetu in illud grex pontificiorum irruit, alteram illius partem populo Christiano aufert, & sic planè truncat.

LXXII. Christus vt sanguinem suum pro omnibus fudit, sic & ab omnibus bibi iussit Matt. 26. v. 27. vnde Paulus Ecclesie Corinthiæ, quæ vt plurimum ex Laicis constabat, non panem duntaxat, sed & calicem distribuit, pro vt
hocâ


hoc à Domino acceperat, 1. Cor. 11. v. 23. Ego accepi à Domino, inquit, quod & tradidi vobis, quod Dominus Iesus ea in nocte qua traditus est, accepit panem. Similiter (ὡσαύτως) & poculum; quæ vox vtramq; actionem connectit.

LXXIII. Friuolum est quod afferunt de concomitantia sanguinis Christi; Laicos scilicet accipiendo corpus Christi etiam sanguinis participes fieri, cum corpus non sit sine sanguine, sed vbiunq; sit corpus, ibi & sit sanguis.

LXXIV. Non enim de hoc Sacramento iudicandum est ex principijs naturalibus, ne fiat μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος, sed ex institutionis verbis, quæ volunt vt sub diversis elementis corpus Christi edamus, & sanguinem bibamus. Quamuis ergo totus Christus sit sub vtraq; specie; non tamen frustra datur sub vtraq; quia hic est verus usus huius sacramenti, vt seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum & sanguis in potum, inquit Thoma: Aquin. part. 3. q. 73. art. 2.

LXXV. Φλυαρίας Aduersariorum collatio dabit. Nos controuersijs reliquis circa hoc mysterium hac vice relictis disputationem præsentem concludimus, Deo agentes gratias quod hunc articulum vsq; ad hæc tempora sartum & tectum contra impios & profanos homines conseruarit. Faxit idem vt ad finem mundi illibatus maneat propter Christum.




Ad præstantiss. Dn. Respond. Convi-
ctorem & Amicum optimum.



*Haldæus non sum, Chalcasve, nec intima cæli
Sidera consului, aut inspexi viscera ranae:
Hoc prædico tamen, ætatis victor Iuste,
Eusebie tibi quod prælustria pulpita tradet.*

*Atq; hoc vt citius fieret, cumq; ordine dextro,
Iam te publicitus vires tentare, tuæq;
Sincerae fidei specimen prius edere iussit.*

*En facis hoc, clarans artis splendore cathedram
Illustri Genio dextrè præeunte CALIXTI:
Dasq; tuæ Fidei clarum spectamen, & Artis
Enucleans DOMINI sacrae mysteria Cænæ.*

*Hic fidei gnomon Patriæ, scio, carus, & illum
Dilaudant, quotquot melioris mentis alumni.
Nos tantum ex animo, feliciter omnia Iusto!
Iusto succedant feliciter omnia! Tantum est.*

M. Henningus Brosenius, P. Cæs. &
Scholæ Helmst. Senat. Rector.

F I N I S.




00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767


WMA

Retro ✓







6.

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
SACROSANCTA
DOMINI COENA.

QUAM
IEHOVA FAVENTE
SUB PRAESIDIO
Reverendi & Clarissimi Viri,
DN. GEORGII CALIXTI,
S.S. Theologiae Doctoris & Professoris
publici in illustri academia Iulia.

Publicè defendet
M. IODOCVS HILDEBRANT
Hildesienfis.
Pridie Kalenda: Octob:



HELMMAESTADI,
Typis heredum IACOBI LUCI,

ANNO M. D C XX.

